

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0440

0438

0444

0434

0449

0429

0489

0389

0539

0339

0939

Ende

Anfang

426

planitiem magnam venimus decalvatam omni arena, totam enim arenam deportaverat ventus. Manifeste autem videre poteramus, pro tempore ibi esse montem arenarum. In processu autem ad finem illius campi venimus et deorsum in aliam regionem arenosam respeximus et erat latitudo magna sub nobis, solitudo dicta Hachseve. In ista latitudine vidimus multa tabernacula et tentoria simul fixa, tamquam ac si esset villa et ignes et currentes homines et bestias et obstupuimus. Erant enim Arabes, deserti habitatores, et per circuitum cisternae tentoria sua fixerant. Itaque cum pavore descendimus contra eos. Qui cum nos vidissent, cum lanceis ante tabernacula stabant sua exspectantes nos. Cum autem in campum venissemus ad jactum lapidis ab eorum tentoriis, nostra tentoria ereximus et nostras bestias exoneravimus in latere eorum. Interea pueri eorum nigri et nudi, solis ardoribus adusti, ad nos currebant, quibus statim dedimus paximatos, quos cum ingenti laetitia accipiebant (et) ad tabernacula sua revertabantur, post quos alii pueri venerunt, quibus similiter dedimus; insuper et aliquae mulieres venerunt gestantes in utero et brachiis parvulos; et his similiter divisimus. Quo facto, confregimus corda Arabum illorum, et invitaverunt nos ad recipiendam aquam pro nobis et nostris bestiis, et utres et amphoras replevimus sine omni contradictione contra omnem spem. Erat autem aqua turbida et aliquantulum salsa, sed tamen potabilis erat et grati fuimus, quod eam habuimus. Porro hoc indubitatum habeo, si parvulos ad nos currentes repulissemus et eis panem non dedissemus, numquam aquam cum pace habuissemus, imo cum lanceis coacti fuisse dare et paximatos et argenteos. Mansimus autem ibi ad tres horas et societatem, quam potuimus habere cum Arabibus illis, habuimus. Nam juvenes nostri milites saltabant cum juvenibus eorum in campo et ad brevium simul currebant et lapides grandes levabant seque sic tentabant cum omni amicitia. Post hoc cum festinatione bestias oneravimus et cum jam in recessu essemus, vocavimus capitaneum illorum Arabum ad nos et ex liberalitate ei ducatum dedimus pro eo, quod ita pacifice nobiscum (35 a) conversatus fuit. Arabs autem ille cum multa reverentia accepto aureo exhibuit se, si

